

1980-06-18 - SS Ioannes Paulus II – Littera ‘In Romanorum Pontificum’

IOANNES PAULUS PP. II

LITTERAE APOSTOLICAE

IN ROMANORUM PONTIFICUM

**TEMPLUM CATHEDRALE BELLUNENSE, SANCTO MARTINO EPISCOPO SACRUM,
AD BASILICAE MINORIS GRADUM MOTU PROPRIO SUMMUS PONTIFEX AVEHIT**

Ad perpetuam rei memoriam. – In Romanorum Pontificum instituto est positum, ut praeclariora templa, cum opportunitas vel utilitas id suaserit, honore augeantur, quo amplioribus incrementis Christifidelium pietas provehatur. Quarum sacrarum aedium in numero habendam esse censemus cathedralem ecclesiam Bellunensem, quae, Alpium amoenitatibus veluti cincta, structurae genere, artificiosis operibus, illustrium Pastorum memoriis commendatur, potissimum ut sedes religionis est praedicanda. Quo quidem in templo proximus Decessor Noster Ioannes Paulus I, cuius suavis apud Nos et universae Ecclesiae filios viget recordatio, multos annos olim ut sacrorum alumnus et canonicorum collegii sodalis liturgica obierat officia. Statuimus ergo motu proprio hoc templum cathedrale Bellunense, sancto Martino sacrum, Basilicae Minoris dignitate insignire et nomine ornare, cum omnibus iuribus et privilegiis, quae huiusmodi ecclesiarum sunt propria, modo ea servantur, quae Decreto «De titulo Basilicae Minoris», die VI mensis Iunii anno MCMLXVIII dato, poscuntur. Contariis nihil obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XVIII mensis Iunii, anno MDCCCCLXXX, Pontificatus Nostri secundo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI, *a publicis Ecclesiae negotiis*